MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80275-5

AUTHOR:

JEEP, JUSTUS

TITLE:

ALIQUOT LOCI EX ORATIONIBUS CICERONIS

PLACE:

GUELFERBYTI

DATE:

[1860]

Master Negative #

91-80275-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Jeep, Justus, 1799-1884.
...Aliquot loci ex orationibus Ciceronis in usum scholarum editis. Guelferbyti, typis Bindseilianis, [1860]
15 p. 28½ cm.

At head of title: Germaniae philologis Brunsvigam congressis hac quasi tessera hospitali S. D. Gymnasium Guelferbytanum interprete Justo Jeep...

VOLUME OF PAMPHLETS

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-26-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202














GERMANIAE
PHILOLOGIS BRUNSVIGAM CONGRESSIS

HAC QUASI TESSERA HOSPITALI

S. D.

GYMNASIUM GUELFERBYTANUM

INTERPRETE

JUSTO JEEP.

INSUNT
ALIQUOT LOCI EX ORATIONIBUS CICERONIS
IN USUM SCHOLARUM EDITIS.

GUELFERBYTI.
TYPIS BINDSEILIANIS.

Tametsi viri ingenio aeque ac doctrina insignes nostra memoria, cum optimorum codicum scripturam diligentius quam superiores exploratam haberent, plurima menda ex Ciceronis orationibus sustulerunt, tamen non effecerunt, ut me poeniteret post largam emendationum messem ab ipsis peractam spicas relictas colligere easque in fasciculos colligatas subinde in medium proferre. Prioribus nunc novum addidi. Quem si quis in manus sumpserit sperans, se reconditae eruditionis copiam in eo inventurum esse, hanc spem vanam fuisse intelleget. Illud tantum spectavi nec frustra egisse mihi videor, ut ea quae collegissem, cum ponderarentur, non omnis bonae frugis expertia, sed ita comparata esse viderentur, ut inde uno alterove loco aliquid commodi ad optimum scriptorem redundare posset. In quo si opinio me non fefellerit, magno opere laetabor.

Rosc. Am. 37, 106 *hic nihil est, quod † suspitionem hoc putetis.* Halmius verba *quod suspitionem hoc putetis,* quae a Ciceronis dicendi consuetudine aliena sunt, intacta reliquit, non quo ea sana esse crederet, sed quod certam emendationem non habebat. Neque enim quod ipsi in mentem venit *suspitioni esse locum putetis* vel *suspitione niti hoc putetis*, neque coniecturas C. Stephani *susp. hanc putetis*, Garatonii *suspitionē putetis*, Madvigii *suspitione occupetis*, Klotzii *suspitiosum hoc putetis*, Baiteri *suspitione esse opus putetis* approbavit. Et sane acriora haec remedia sunt, quam quibus opus esse videatur. Nam si scribitur *quod suspitione hoc putetis*, sententia efficitur, in qua acquiescere possimus. Non esse, ait, quod suspitione inducti putent Titos Roscios Chrysogono Sex. Roscii mortem nuntiasse, bona obtulisse. Non deesse quidem, quae suspitionem moveant, sed suspitionibus in hac causa supersederi posse: ipsos Roscios non negare Chrysogonum a se impulsum ad bona Sex. Roscii accessisse. Locus huic et sententia et verborum structura simillimus est Verr. IV 47, 104

hic nunc iste reus aut ego accusator aut hoc iudicium appellabitur? Criminibus enim coarguitur aut suspitionibus in iudicium vocatur! — *urgetur confessione sua.* Nam ibi quoque omissis criminibus et suspitionibus reus re ipsa convictus nullam neque infitiandi rationem neque defendendi facultatem sibi reliquisse et sua confessione urgeri dicitur. Nec multum distant ea, quae Verr. V 64, 166 leguntur: *omitto ac neglego cetera: sua confessione induatur ac iuguletur necesse est. Qui esset ignorabas, speculatorem esse suspicabare: non quaero, qua suspitione; tua te accuso oratione.* Cf. Sest. 20, 46 *cum alii me suspitione sui periculi non defenderent.* Planc. 12, 30 *iacis adulteria, quae nemo non modo nomine, sed ne suspitione quidem possit agnoscere.* Flacc. 3, 6 *ipsi coniectura nihil iudicabitis?*

Rosc. Am. 43, 125 *bonorum Sex. Roscii emptor est Chrysogonus. Primum hoc videamus: eius hominis bona qua ratione venierunt aut quo modo venire potuerunt? Atque hoc non ita quaeram, iudices, ut id dicam esse indignum, hominis innocentis bona veniisse. Si enim haec audientur ac libere dicentur, non fuit tantus homo Sex. Roscius in civitate, ut de eo potissimum conqueramur.* Verba *si enim haec audientur ac libere dicentur*, in quibus scribendis codices non variant, nisi quod pro *ac* in Guelferbytano *et*, in aliquot Oxoniensibus *aut*, et pro *dicentur* in Monacensi *dicuntur* legitur, satis gravem offensionem habent. Ac primum quidem tempora futura *audientur* — *dicentur* non conveniunt cum sequentibus *non fuit tantus homo* — *ut de eo potissimum conqueramur.* Agitur enim de re, quae an nunc sit ambigitur. Deinde ordo collocatioque verborum eius modi est, ut vix Ciceroni tribui possit. Perversum enim et praeposterum est *audientur* priorem, *libere dicentur* secundum locum obtinere. Ob has causas Halmio assentior, qui locum sic, ut in codicibus est, a Cicerone scriptum esse negat: quod vero *si enim haec aeque audientur ac libere dicentur* vel *dicuntur* exspectandum fuisse dicit, vereor, ne verum non viderit. Nam ut omittam, difficultates, quibus lectio codicum laborat, hac scriptura non omnino sublatas esse, iam ex eo, quod *dicentur* cum adverbio *libere* coniunctum, *audientur* per se solum positum est, colligi posse puto, haec verba per particulas *aeque* — *ac* non esse copulanda. Accedit, quod lenius datur remedium. Nam si scripseris *si enim haec audiantur — ac libere dicuntur —, non fuit tantus*

homo Sex. Roscius cett., in incerto relinquitur utrum ea, de quibus agitur, audiantur necne, sed in parenthesi additur, facile fieri posse, ut audiantur, cum libere dicantur. Quae sententia eo probatur, quod illo tempore Romae multi homines fuerunt, qui a proscriptione Sullana abhorrebant. Cf. 53, 153 *illam priorem* (proscriptionem), *quae facta est in eos, qui arma capere potuerunt, tamen senatus suscipere noluit, ne quid acrius, quam more maiorum comparatum est, publico consilio factum videretur.* Neque vero Ciceroni inusitatum est particula *ac* in parenthesi uti. Cf. Verr. IV 65, 145 *postea decernitur, ac non varie, sed prope cunctis sententiis, ut laudatio, quae C. Verri decreta esset, tolleretur.* Hand. Turs. I, p. 499.

Verr. IV 42, 91 *dedit igitur tibi nunc fortuna Siculorum C. Marcellum iudicem, ut cuius ad statuam Siculi te praetore alligabantur, eius religione te isti devinctum adstrictumque dedamus* Haec est optimorum codicum Parisiensis, utriusque Guelferbytani, Leidensis scriptura, pro qua in deterioribus libris *eius religioni te eundem vinctum adstrictumque dedamus* invenitur. Madvigius *eius religione te istic devinctum adstrictumque videamus*, Orellius *eius religione te iisdem* (i. e. Siculis) *dev. adstr. dedamus*, Garatonius et Zumptius *eius religione te istis dev. adstr. dedamus* coniecerunt. Quam sententiam membrorum contrarie relatorum concinnitas postulet manifestum est. Sicut enim antea Siculi a Verre praetore ad statuam C. Marcelli alligabantur, ita nunc Verres repetundarum reus a Siculis iudicio C Marcelli accusationis quasi laqueis irretitus dedi dicitur. Cum hac sententia Orellii, Garatonii, Zumptii suspitiones non conveniunt, nec Halmio probantur. Qui cum *eius religione te ipsi dev. adstr. dedamus* scripsit, pronomen *ipsi* ad Marcellum referri vult, quo ipse statuae suae ex adverso ponatur. At Marcelli *statuae*, cui *ipsi* perincommode opponeretur, *religio* eius, qua ut iudex obstrictus est, respondere videtur. Praeterea, pronomine *ipsi* ad Marcellum relato, quid verbis *eius religione devinctum adstrictumque* faciendum sit non intellegitur. Nam si Verres Marcelli religione iam devinctus adstrictusque est, nihil eum Marcello dedi attinet dicere Quodsi sententiam loci recte perspexi, significandum fuit, Siculos ea, quae a Verre passi sint, rursus et ipsos rependere. Qua re *eius religioni te ipsi devinctum adstrictumque dedamus* legendum esse censeo, nec vereor, ne quem offendat, quod Cicero Siculorum causam, quam dicit, verbis *ut — ipsi — dedamus*

non magis clientium quam suam esse profitetur. Cf. Sest. 10, 24 *foedus fecerunt cum tribuno pl. palam, ut ab eo provincias acciperent, quas ipsi vellent, — ea lege, si ipsi prius tribuno pl. afflictam et constrictam rem publicam tradidissent.*

Verr. IV 67, 151 *ac videte hominis impudentiam atque arrogantiam, iudices, qui non solum Verria haec turpia ac ridicula ex Heraclii pecunia constituerit, verum etiam Marcellia tolli imperarit, ut ei sacra facerent quotannis, cuius opera omnium annorum sacra deosque patrios amiserant; eius autem familiae dies festos tollerent, per quam ceteros quoque festos dies recuperarant.* Quid verbis *omnium annorum sacra* significetur me non intellegere fateor, nec Manutius, qui ea, quod sciam, solus attigit, intellexisse videtur. Nam *cui deo*, inquit, *sacra fierent, cum Verres omnium deorum simulacra sustulisset*? Abstulit quidem ex tota Sicilia sacra profanaque, quibus delectabatur; sed inde, quod simulacra deorum, quae placita sunt, ex templis eripuit, non sequitur, ut sacra fieri desierint, nec ullo Verrinarum loco a Cicerone affirmatur ea desisse. Una Marcellia a Verre sublata et in eorum locum Verria substituta sunt. Sacra igitur, de quibus hoc loco agitur, sacrificia vel res divinae, quae fieri solebant, esse non possunt, praesertim cum *deosque patrios* addatur. Sin vero res dis dedicatas atque consecratas intellegere malueris, vereor, ne in verbis adiunctis *omnium annorum* ita haereas, ut te expedire non possis. Accidit mihi olim hunc locum tractanti, ut non id, quod ante oculos erat *omnium annorum sacra* , sed id, quod animo obversabatur *o m n i a m a i o r u m sacra* legerem. Sic temere ac fortuitu in lectionem incidi, quam re diligentius considerata amplectendam et retinendam esse censui. Nam primum Cicero plurimis locis commemorat, Siculos ex suis bonis nihil carius habuisse quam maiorum sacra, eorumque damno, cum sibi a Verre erepta viderent, summo dolore affectos esse. Cf. Verr. IV 2, 4 *erat apud Heium sacrarium — a maioribus traditum* cett. 4, 7 *facile illo sacrario patrio continebatur*; *Heio se a maioribus relictum esse sciebat in hereditate sacrorum.* 6, 11 *video — illum haec, quae tot annos in familia sacrarioque maiorum fuissent, venditurum non fuisse. — Veri simile non est, ut ille homo — religioni suae monumentisque maiorum pecuniam anteponeret.* 7, 16 *dixit — neque se habuisse illa venalia, neque ulla condicione — adduci umquam potuisse, ut venderet illa, quae in sacrario fuissent, a maioribus suis relicta et tradita.* 59, 132 *omnes religione moventur et deos patrios, quos a maioribus acceperunt, colendos sibi diligenter et retinendos arbitrantur.* 60, 134 *turpitudinem summam esse arbitrantur referri in tabulas, pretio adductam civitatem — ea, quae accepisset a maioribus, vendidisse.* Magis etiam id, quod suadeo, *cuius opera o m n i a m a i o r u m sacra deosque patrios amiserant* iis locis commendatur, in quibus *sacra maiorum* cum *dis patriis* coniuncta inveniuntur, velut IV 8, 17 *sacra se maiorum suorum repetere abs te dicit, deos penates te patrios reposcit* et II 5, 13 *idemque Mamertinorum legatus, istius laudator, non solum istum bona sua, verum etiam sacra deosque penates a maioribus traditos ex aedibus suis eripuisse dixit.* Quae adhuc dixi, satis mihi probare videntur, verba *omnia maiorum sacra* et orationi Ciceronis et loci sententiae consentanea esse; contra *omnium annorum sacra* nec me alibi memini legere nec quid hoc loco sibi velint animo percipere possum.

Verr. V 43, 113 *non posse Verrem testes interficiendo nos exstinguere: graviorem apud sapientes iudices se fore ab inferis testem, quam si vivus in iudicium produceretur: tum avaritiae solum, si viveret, nunc cum ita esset necatus, sceleris, audaciae, crudelitatis testem fore.* Cum meliorum codicum scriptura (in Parisiensi, Guelferbytano secundo, Leidensi exstat *nos*, in Guelferbytano priore *vos*), quam deteriores ad suum arbitrium libidinemque in *crimina sua* mutaverunt, prorsus ferri non possit, Wesenbergius pronomen *nos* delevit, Bakius vero *criminum vocem*, Orellius *noxas*, Madvigius *voces*, Halmius *eos*, Kiehlius *ius* coniecit, quam suspitionem Halmius in edit. Weidm. Lipsiae 1858 recepit. Mea quidem sententia ex his coniecturis nulla est, quae veri quaerendi finem recte facere possit. Etenim si quaesiveris, quid testibus interfectis maneat atque etiam in eorum locum succedat, res est, ad quam probandam testes producuntur. Haec vel testibus sublatis per se ipsa loquitur. Quam ob causam, si nos audieris, *non posse Verrem testes interficiendo r e s exstinguere* scripseris. Cf. V 46, 121 *testes avaritiae tuae gaudes esse sublatos. Errabas, Verres, et vehementer errabas, cum te maculas furtorum et flagitiorum tuorum sociorum innocentium sanguine eluere arbitrabare* seqq. Res, quibus audientium animi magis quam testificatione moveri dicuntur, saepe testibus opponuntur. Cf. V 50, 131 *harum rerum omnium*

auctores testesque produco. 61, 158 *dedi tantum priore actione testium, res ut nemini dubia esse posset.* Fin. II 16, 52 *hoc, dictum in una re, latissime patet, ut in omnibus factis re, non teste moveamur.* Quintil. inst. or. V 13, 3 *accusator dat testem, patronus ex re ipsa refellit.* Maxime tamen ad id, quo coniectura nos duxit, probandum loci conducunt, qualis est Flacc. 3, 6. Nam postquam ibi ex accusatore quaesivit *hunc igitur virum, Laeli, quibus tandem rebus oppugnas?* ostenditque ea, quae Flaccus in tribunatu, quaestura, praetura gesserit, a Laelio non tentari, deinde subiicit *at a testibus laeditur*, probaturus testes rebus non esse anteponendos. Similiter in oratione pro Caelio 28, 66 *nullum argumentum*, inquit, *in re — reperietur. Itaque haec causa — ab iis signis, quibus veritas illustrari solet, ad testes tota traducta est.* Ceterum vocem *res* ita commendandam esse censeo, si notio quaeritur, cui *exstinguere* respondeat, quem ad modum *interficiendo* ad testes refertur Quodsi et *interficiendo* et *exstinguere* ad testes referri malueris, nescio an *nos*, cum littera *o* praecedat, ex *ōino*, compendio adverbii *omnino*, ortum sit. Sic loci sententia esset, Verrem testes eo, quod interficiendos curet, plane delere non posse.

Sest 8, 19 *tanta erat gravitas in oculo, tanta contractio frontis, ut illo supercilio annus ille niti tamquam vade videretur.* Agitur de Pisone, quo annus, cuius ipse cum Gabinio consul fuit, niti dicitur. Sed scriptura loci incerta atque dubia est Quae enim inde ab Hervagio et Naugerio in editiones divulgata sunt *ut illo supercilio res publica, tamquam Atlante coelum, niti videretur*, ea nescio utrum longius a sanitate orationis an a meliorum librorum vestigiis recedere dicam. Ex codicibus non interpolatis in Parisino et Gemblacensi *ut illo supercilio antuus* (Gemblac. *anantuus*) *ille niti tamquam videretur* exstat; eademque codices ex illis derivati habent, nisi quod *antuus* in *mantuus* (Bern et St. Vict.), *anmantius*, *amnantius* cett. mutaverunt. Quam scripturam cum lacunosam esse appareret, Madvigius coniectura Lambini *supercilio annus ille niti* probata atque recepta ex Valerio Probo, qui uno loco *tamquam vade,* altero *uultu tamquam vade* ex Cicerone affert, *vade* post *tamquam* supplevit. Hanc vocem ad lacunam meliorum codicum explendam desiderari et ante *videretur* facile excidere potuisse manifestum est. Sed vix credideris librarios *annus*, vocabulum tam usitatum ac tritum, in *antuus*

vel *anantuus* depravasse. Accedit, quod Cicero ad annum, quo Piso et Gabinius consules fuerunt, significandum nusquam *annus ille*, sed ubique *ille annus* scripsit. Cf. 7, 15 *fuerat* [terruerat?] *ille annus.* 24, 53 *illo anno scelere consulum rem publicam esse confectam.* 25, 55 *reliquas illius anni pestes recordamini.* 26, 56 *exteras nationes illius anni furore conquassatas videbamus.* 27, 58 *multa turbulenta habuit ille annus.* 59 *hoc illius funesti anni prodito exemplo.* 29, 62 *cum omnia acta illius anni per unum illum labefactari viderentur.* 30, 65 *constitutumque est illo anno.* 66 *quae vero promulgata illo anno fuerint — quid dicam?* 33, 71 *abiit ille annus.* Denique verba illa *ut illo supercilio annus ille niti tamquam vade videretur* neque per se probabilem sententiam habent — quid enim illud est annum supercilio consulis niti? — neque ad ea, quae sequuntur, apte conveniunt. Cicero enim, ut ea, quae de Pisone dixit, vere dicta esse videantur, vulgi sermonem affert: esse Pisonem reipublicae magnum firmumque subsidium et pro Gabinio sponsorem, cuius libidinem levitatemque vel vultu fracturus sit. Exspectandum igitur est, eum in exponenda sententia sua eundem ordinem, quem in referendo sermone vulgi, ita secutum esse, ut cum dixisset supercilium Pisonis pignus reipublicae visum esse, adderet hoc supercilio Gabinium niti tamquam vade videri Quae cum ita sint, sub corruptelis codicum *anantuus* vel, quod idem est, *antuus* vix aliud quid quam Gabinii significatio latere possit. Videamus igitur qualem hanc fuisse putemus. Sicut § 18 et 19 *calamistratae comae* Gabinii *capillus horridus* Pisonis opponitur, sic 11, 26, quo loco Piso et Gabinius iterum inter se comparantur, prior *ille horridus et severus*, hic *cincinnatus consul* nominatur. Itidem or. in senat. 5, 12 ut *cincinnatus ganeo* et 6, 13 ut *calamistratus saltator* increpatur. Cf. Pis. 11, 25. Inde apparet notationem Gabinii, maxime ubi Pisoni ex adverso ponitur, ab eius cincinnis desumi solere. Quam consuetudinem Cicero hoc quoque loco tenuisse videtur. Nam cum syllaba *an*, quae in codice Gemblacensi repetita est, syllabae *cin* in libris manu scriptis tam similis sit, ut cum ea facile commutari potuerit, non dubito, quin *anantuus* ex *cincinnatus* ortum et a Cicerone *ut illo supercilio cincinnatus ille niti tamquam vade videretur* scriptum sit. Sic levis Gabinius, id quod nexus sententiarum requirit, Pisonem severum quasi vadem pro se dedisse eoque, quem ad modum cincinnorum fimbriae supercilio sustinentur, nisus esse dicitur.

Phil. I 6, 14 *non modo voce nemo L. Pisoni consularis, sed ne vultu quidem assensus est. Quae malum! est ista voluntaria servitus? Fuerit quaedam necessaria: neque ego hoc ab omnibus iis desidero, qui sententiam consulari loco dicunt. Alia causa est eorum, quorum silentio ignosco, alia eorum, quorum vocem requiro.* L. Pisonem Kalendis Sextilibus libere de re publica dicentem consulares non erant secuti. Hanc voluntariam servitutem Cicero miratur et increpat. Verba, quae sequuntur *fuerit quaedam necessaria: neque ego hoc ab omnibus iis desidero, qui* cett., quamquam pro sinceris et sanis habentur et venditantur, tamen haud tenuem mihi iniiciunt scrupulum ac dubitationem. Halmius pronomen *quaedam* de servitute asseclarum Antonii, in qua nemo offendi possit, intellegendum esse censet. At horum servitus, cum sua sponte nec ulla necessitate coacti Antonio serviant, voluntaria est. Rectius servitutem optimatium necessariam appellaveris, quibus per effrenatam Antonii violentiam non licebat suam dignitatem libera voce tueri. Quamquam ubi in orationibus Philippicis servituti voluntariae servitus necessaria vel casus necessarius opponitur, his verbis servitium non ab Antonio, sed a Caesare civibus impositum significatur. Cf. VI 7, 19 *fuit aliquis fatalis casus, ut ita dicam, quem tulimus, quoquo modo ferendus fuit; nunc si quis erit, erit voluntarius. Populum Romanum servire fas non est* seqq. X 9, 19 *omnis est misera servitus; sed fuerit quaedam necessaria: ecquodnam* [ecquamnam?] *principium putatis libertatis capessendae? An cum illum necessarium et fatalem paene casum non tulerimus, hunc feremus voluntarium? Tota Italia desiderio libertatis exarsit; servire diutius non potest civitas.* Hos locos comparanti dubium esse non potest, quin verba *fuerit quaedam necessaria,* de quibus agitur, ad eam servitutem spectent, qua Caesar civitatem aliquamdiu oppressam tenuit. Sed ut hoc pro certo et confesso habeamus, difficultas tamen, quo locus laborat, non sublata, sed tantum via, qua id fieri possit, munita est. Quae enim adduntur *neque ego hoc ab omnibus iis desidero, qui* cett., cum praegressis non apte cohaerent, maxime quod pronomen *hoc* non habet, quo referatur. Cui cum Halmius sensum *ne taceant* subiicit, explicat magis, quod dicendum fuit, quam quod re vera dictum est. Iam vero si nec *hoc* ad liberam vocem eorum, qui sententiam consulari loco dicunt, nec *necessaria* ad Antonianorum servitutem referri licet, quid restat, quam ut inter verba *fuerit quaedam necessaria* et *neque*

ego hoc ab omnibus iis desidero lacunam esse statuamus deque ea explenda cogitemus? Ac ne ipsa verba, quibus Cicero usus sit, restituisse nobis sumamus, sententiam certe, quae desideratur, *repellenda est voluntaria* ex iis locis, quos supra comparavimus, coniectura assequi possumus. Nec incredibile prorsus, haec ipsa, quae supplenda esse diximus, a Cicerone scripta et a librariis ob similem exitum verborum *necessaria* et *voluntaria* omissa esse. His vel similibus verbis insertis haec oritur sententiarum series: fuerit dominatio Caesaris necessaria; Antonii dominationem, quae servitus non necessaria, sed voluntaria est, propulsemus. Neque vero id ab omnibus consularibus desidero. Alia ratio est Antonianorum, quorum silentio ignosco, alia optimatium, quorum liberam vocem requiro.

Phil. I 13, 31 *quae fuit oratio de concordia! quanto metu veterum malorum, quanta sollicitudine civitas tum a te liberata est, cum collegam tuum depositis inimicitiis, oblitus auspiciorum a te ipso augure populi Romani nuntiatorum, illo primum die collegam tibi esse voluisti* cett. Lectionem codicum *metu veterani quanta* corruptam esse omnes consentiunt. Nam cum dici non possit, quonam in metu praecipuo veterani fuerint, aut quid Antonii oratio ad eos potissimum metu liberandos valuerit, non fuit, cur ex universa civitate eximerentur. Vid. Madvig. opusc. acad. I, p. 203. Civitas metu liberatur: quid metuerit sub corruptela *veterani* latet. Qua re Orellius *metu veteris mali*, Halmius *metu veterum malorum* coniecit. Veri similius est Ciceronem *metu veteris anni* scripsisse, quod ad codicum scripturam proxime accedit. Ne vero quis putet, me *veteris anni* idem esse velle, quod superioris anni, *annus* interdum usurpatur de re, quae aliquo anno accidit. Cf. Liv. XXVII 40, 7 *terrebat et proximus annus lugubris duorum consulum funeribus* cum XXVII 44, 5 *consules proximo anno interfecti terrebant* et ea, quae ad Sest. 8, 19 attuli. Atque ubi *vetus* additur, res, quae eo anno fuit, novae rei opponitur, quae illam excepit. Sic hoc loco ad veterem miseramque civitatis condicionem, quae superiore anno fuit, novus meliorque rerum status refertur, qui senatu in aede Telluris habito exstitisse videbatur. Cf. paulo ante dicta *recordare — consensum illum theatri, cum omnes earum rerum obliti, propter quas fuerant tibi offensi, significarent se beneficio novo memoriam veteris doloris abiecisse.* Simili modo M. Atilius apud Liv. XLII 1, 4 *vetus praetor* nominatur non tam quod superiore anno Sardiniam provinciam obtinuit,

quam quod novo praetori, cui Sardinia obtigisset, oppositus est. Nec *annus* solum, sed aliae quoque voces, quibus aliquod temporis spatium denotatur, velut *dies* et *mensis*, in eius rei vicem cedunt, quae illo tempore facta est. Cf. Gronov. ad Iustin. IX 3, 11 *hic dies universae Graeciae et gloriam dominationis et vetustissimam libertatem finivit*. Sic Cicero initio capitis, cum dicit *unum illum diem, quo in aede Telluris senatus fuit, non omnibus his mensibus -- anteponis?* illius diei horumque mensium acta intellegi vult. Quae cum ita sint, reliquum est, ut ostendam, *metu veteris anni* hoc, quo dixi, sensu ad eas res, de quibus agitur, accommodatissimum esse. Caesar, ut alia, quae contra leges admiserat, taceam, per novem priores menses anni 709 a. u. consul sine collega fuerat. Cicero igitur, cum Antonius consul anno sequenti collegam suum Dolabellam vitio creatum esse dixisset, metuebat, ne, ut Caesar superiore, sic hoc anno Antonius consul sine collega esset. Hoc veteris anni metu eo die liberatus est, quo Antonius inimicitiarum auspiciorumque ab ipso nuntiatorum oblitus Dolabellam sibi collegam esse voluit.

Phil. I 14, 35 *quare flecte te, quaeso, et maiores tuos respice atque ita guberna rem publicam, ut natum esse te cives tui gaudeant; sine quo nec beatus nec clarus nec tutus quisquam esse omnino potest*. In libro Vaticano legitur *nec unctus quisquam esse omnipotestate*, quam scripturam Halmius ita refecit, ut *nec tutus quisquam esse omnino potest* de Mureti coniectura ederet. Ex recentioribus coniecturis unam Mittermayeri, qui Phil. II 44, 113 *dum istis consiliis uteris, non potes, mihi crede, esse diuturnus* collato *diuturnus* pro *unctus* scribendum esse censet, in medium profero, non quo hanc vocem ex illa ortam esse existimem, sed quod notio, quae inest in *diuturnus* et ad sententiam loci convenire et sub Vaticani corruptelis latere videtur. His enim ducimur ad suspicandum, Ciceronem *nec auctus quisquam esse omni potest aetate* scripsisse. Verum iter gloriae ostensurus monet benevolentiae vim esse magnam et diuturnam, metus imbecillam et caducam, quem locum de offic. II 6, 21 diligentius tractat. Ad ea, quae illic dicit, haec *ita guberna rem publicam, ut natum esse te cives tui gaudeant* cett. referenda esse inde manifestum est, quod non solum versui de offic. II 7, 23 allato

Quem metuunt odere. Quem quisque odit, perisse expetit

hoc loco versus

Oderint, dum metuant

respondet, sed etiam exitus C. Caesaris utroque loco commemoratur, ut probetur hominum studia adiungi et retineri amore, non metu. Iam vero cum certa quadam affinitate inter hos locos intercedente in uno emendando alterius ope recte uti liceat, ad verba *esse omni potest aetate* explicanda offic. II 7, 23 *malus enim custos diuturnitatis metus, contraque benevolentia fidelis vel ad perpetuitatem* vel II 7, 25 *nec vero ulla vis imperii tanta est, quae premente metu possit esse diuturna* comparari, et ad vocem *auctus* tuendam ad offic. II 7, 21 *quaecumque igitur homines homini tribuunt ad augendum et honestandum aut benevolentiae gratia faciunt, cum aliqua de causa quempiam diligunt* cett. provocari posse puto. Ceterum et *augendus* et *auctus* aliis quoque locis ita absolute usurpantur, ut opibus vel honoribus auctum augendumve significent. Cf. ad fam. VII 17, 2 *semper te non modo tuendum mihi, sed etiam augendum atque ornandum putavi*. Nep. Phoc. 2, 3 *auctus adiutusque a Demosthene eum, quem tenebat, ascenderat gradum*. Sallust. Iug. 86, 3 *celebratus auctusque erat*. Quo mihi persuadetur Phil. II 20, 49 scripturam Vaticani *tu a me ouatus in petitione quaesturae* non ex *tu a me observatus in pet. quaesturae*, sed ex *tu a me auctus in pet. quaesturae* depravatam esse.

Phil. II 45, 115 *recordare igitur illum, M. Antoni, diem, quo dictaturam sustulisti; pone ante oculos laetitiam senatus populique Romani, confer cum hac immani nundinatione tua tuorumque: tum intelleges quantum inter lucrum et laudem intersit*. Cum ex scriptura *cum nûmatione*, quae in plerisque codicibus invenitur, Lambinus *cum hac nundinatione* fecisset idque vulgatum esset, recentiores editores Vaticani vestigia secuti A. Augustini coniecturam *cum hac immani nundinatione* praetulerunt. At ista nundinatio, qua immunitates et beneficia venibant, non omnia ea crimina complectitur, quibus Antonius magnam spem, quam optimates ob orationem in aede Telluris habitam de eo conceperant, Kalendis Juniis fefellit. Nam in aede Telluris timore regni sublato egregiam sui spem exspectationemque dederat. Cf. Phil. I 1, 2 *praeclara tum oratio M. Antonii, egregia etiam voluntas* seqq. I 13, 31 *quae fuit oratio de concordia! — quanta sollicitudine civitas tum a te liberata est* seqq. II 35, 90 *qui tibi dies ille, Antoni, fuit!* seqq. Sed Kalendis Juniis omni vel simulatione vel dissimulatione omissa prorsus alium atque in aede Telluris se ostendit. Cf. I 2, 6 *ecce enim Kalendis Juniis, quibus*

ut adessemus edixerant, mutata omnia seqq. I 13, 33 *unde igitur subito tanta ista mutatio?* seqq. II 36, 90 *qui tu vir, di immortales, et quantus fuisses, si illius diei mentem servare potuisses!* seqq. Quam ob rem proxime ad Vaticani litteras *confer cum hac immani mutatione tua tuorumque* legendum esse censeo nec vereor, ne quis ad hanc coniecturam refellendam mihi ea opponat, quae sequuntur *tum intelleges, quantum inter lucrum et laudem intersit*, quasi vero ut lucrum laudi, ita nundinationem laetitiae senatus populique Romani respondere oporteat. Jam enim Cicero in ea opinione est, ut tantam tamque subitam Antonii mutationem ex avaritia ortam esse putet, quam suspitionem antea ipse improbavit. Cf. I 13, 33 *non possum adduci, ut suspicer te pecunia captum: — illud magis vereor, ne ignorans verum iter gloriae gloriosum putes plus te unum posse quam omnes et metui a civibus tuis.*

Phil. II 46, 118 *respice, quaeso, aliquando* [*rem publicam, M Antoni*]*! quibus ortus sis, non quibuscum vivas considera! mecum, uti voles: redi cum re publica in gratiam! Sed de te tu videris, ego de me ipso profitebor.* In codicibus familiae Germanicae legitur *mecum, ut voles, cum re p. redi in gratiam*, contra in Vaticano *mecum utiles redi cum re p. in gratiam.* Hoc verborum ordine restituto Halmius, ut propius ad *utiles* accederet, *uti voles* pro *ut voles* edidit, quae scriptura nec ad conformationem enuntiationis nec ad eius sententiam satis apta esse videtur. Nam si ex verbis *redi in gratiam* coniecturam facimus de notione, quam ad ea referri velimus, vocem desideramus, cui iurgandi vel rixandi vis subiecta est; et cum ex Vaticano appareat, orationem ita comparatam esse, ut ex quatuor verbis tertium secundo, quartum primo respondeat, eius verbi, quod sententia requirere videtur, aut imperativum aut coniunctivum exspectamus, qui imperativo *redi* respondeat. Verum haec tamen non ita a me dicta sunt, quasi putem *mecum, uti voles* omnino ferri non posse, in quo fortasse ne haesissem quidem, si in omnibus codicibus legeretur. Sed cum in Vaticano, quo tamquam firmissimo fundamento orationes Philippicae nituntur, *mecum utiles* exstet, offendicula illa, quae mihi occurrerunt, non pro nihilo habenda, sed diligenter circumspiciendum esse existimavi, an[illegible] corrupta Vaticani lectio leniore remedio sanari possit. Atque id mecum reputanti mihi in mentem venit *mecum litiges, redi cum re publica in gratiam* scribendum esse. Nam *LI* facile in *U* depravari potuit, et quaedam formae litterarum *L* et *G* ita similes sunt, ut hae quoque inter se permutari potuerint.

Superest, ut verba *rem publicam, M. Antoni*, quae, cum Vaticanus nihil nisi *quaeso ali quibus ortus* habeat, in deterioribus codicibus suppleta sunt, breviter attingam. Halmius haec verba in editione Turicensi ut sibi suspecta uncinis inclusit, in Weidmanniana iure optimo delevit: agitur enim de Antonio eiusque maioribus et postea demum de re publica. Sed quae supplemento isto eiecto reliquit *respice, quaeso, aliquando*, ne ea quidem pro bene sanis atque incorruptis haberi possunt. Nam Cicero de animo Antonii Kalendis Juniis prorsus mutato queritur: eum verae laudis gustatum non habere nec metu, ne a populo non magis quam Caesar feratur, a foedissimis factis revocari. Non igitur Antonium nescio quid respicere, sed ad sanitatem reverti iubet. Qua re scribendum est *resipisce, quaeso, aliquando; quibus ortus sis — considera.* Cf. ad Attic. IV 5, 1 *vix aliquando te auctore resipui.* Liv. XXXVI 22, 1 *ut tunc saltem experti regiam vanitatem resipiscerent.* Hac emendatione recepta hic locus cum eius simillimo I 13, 33 *unde igitur subito tanta ista mutatio?* seqq. congruit maxime. Ibi enim Cicero, cum Antonium cohortatus esset, ut infelici Caesaris exitu monitus a civibus suis diligi mallet quam metui, haec addidit: *qua re flecte te, quaeso, et maiores tuos respice atque ita guberna rem publicam, ut natum esse te cives tui gaudeant,* quibus verbis satis clare ostenditur quid hoc loco scripsisse existimandus sit.

[illegible]